

Et sine novo processu, hoc est, non probato aliorum bonorum defectu, actoris dominio, quodque alienatio facta fuerit lite pendente, in quibus consistit novus processus faciendus in prosecutione Judicii executivi, contra tertium possessorem rei litigiosæ, Gabr. conf. 31. n. 20. lib. 2. Menoch. conf. 319. n. 12. & 13. Honded. conf. 20. n. 48. & seqq. lib. 1. Grat. discept. 502. n. 35. facilius si vera esset opinio Joan. Francisci à Ponte conf. 101. sub n. 7. lib. 2. ubi ait quod exceptuatio dotis in d. l. fin. Cod. litigios, si recte advertatur non prodest, nisi ad effectum evitandi poenas in eadem leg. comminatas contra alienantem rem litigiosam, non autem evadendi vitium litigiosi quin transeat in acquirentem, * de quo tamen dubitari contingit per ea quæ tradit Natt. conf. 401. n. 5. Cantar. decis. 35. n. 11. firmantes, vitium litigiosi non obflare quando alienatio fit ex causa necessaria, ideoque contra acquirentem agendum esse via ordinaria, & magis in terminis Mastril. decis. 308. n. 3. ait. sustineri alienationem lite pendente factam ex causa dotis, quia in dote non datur vitium litigiosi.

Gratis tandem dicitur Franciscum non habere de quo conqueratur, ex quo ab Atavante in actu acquisitionis, domus de qua agitur, dimissa fuit alia domus ad Babuinum, super qua ipse Franciscus immisionem obtinuit, & possessionem adeptus fuit, quia immissio ei concessa fuit, & possessio acquisita super sola medietate ad Octavium ejus patrum spectante ut in Summ. Atavanti num. 4.

Quapropter omisso fundamento fraudis, & simulationis, quæ ex noviter deductis sublata videbatur, DD. utraque parte informante, steterunt in decisis ex capite litigiosi, quod suffragatur etiam semota fraude, * quia ut ponderat Capyc. Latro decis. 170. n. 70. lib. 2. alienatio rei litigiosæ, non solum est prohibita ratione fraudis, sed ne effectus rei Judicaturæ, & sententia reddatur elusoria, neve deterior efficiatur conditio litigantis.

DECISIO LXVIII.

R. P. D. CELSO.

Bononien. Fideicommissi.

Mercurii 28. Junii 1651.

SUMMARIUM.

- 1 Immissio tam propter obitum, quam contraventionem hæredis gravati; fideicommissario conceditur, & num. 11.
- 2 Descendentium deficientia justificatur dum non constat aliquem natum.
- 3 Hæres gravatus fideicommissum agnitum alteri cedit.
- 4 Alienata contra prohibitionem testatoris à vocato revocari possunt.
- 5 Transactio vocatis ad fideicommissum non præjudicat. Ex pacto resolvitur, n. 6.
- 7 Trebellianica prohiberi potest, etiam filiis primi gradus.
- 8 Legitima compensatur: cum usufructus spectat ad cessionarium, num. 9.
- 10 Identitas probatur ex Inventario.

Super dubio per me proposito, an Pompeo Bolognetto sit danda immissio, Domini affirm-

mative responderunt, quia literalis est illius vocatio, tam in casu obitus Vincentii sine filiis, quam etiam alienationis. Unde cum ex utroque capite purificata fuerit conditio, * merito immissio concedi debet, ut firmavit Rota in recent. dec. 244. n. 1. p. 7. in Romana fideicommissi 8. Junii 1648. coram bon. mem. Arguelles, & in Ravennaten. bonar. 6. Novembris ejusdem anni coram R. D. meo Decano, cum aliis per Argel. de acquir. poss. quest. 8. art. 14. num. 328. & seq.

Etenim deficientia Descendentium Vincentii, remanet sufficienter justificata, * dum ex adverso non probatur illos aliquando natos fuisse, ut probat text. in l. ex facto 17. §. si quis autem, ibique Castr. n. 2. ff. ad S. C. Trebell. Aldob. conf. 80. n. 4. & seq. lib. 1. Surd. conf. 92. n. 16. Covar. var. resol. lib. 2. c. 6. sub n. 6. vers. quasi non probato, Rota coram Duran. dec. 301. n. 5. in Auximana Prædii 15. Maii 1645. coram R. D. meo Dunozetto, & in Bononien. fideicommissi seu Domus 10. Decembris 1646. coram R. P. D. meo Bichio.

Ipse vero Vincentius, cum Jura sua Pompeo cesserit, habetur ad hunc effectum, * ac si naturaliter decessisset l. 2. §. si quid duplici ff. de hæred. vel act. vend. non enim prohibetur hæres gravatus, fideicommissum jam agnitum alteri vocato cedere, ex notatis per Peregr. de fideic. a. 2. n. 52. in fin. & a. 31. n. 27. & 34. Fular. de substit. quest. 524. nu. 5. Gabr. consil. 121. nu. 49. lib. 1. Surd. d. conf. 92. num. 4.

Ex capite etiam alienationis purificata fuit vocatio Pompei, quia archissima est prohibitio illius facta à Prospero Testatore, & ideo cum Vincentius hæres institutus primo, & postea Ludovicus ab eo causam habens, bona ejusdem fideicommissi alienaverint * in extraneos, hujusmodi prohibitio alienationes nullas ab initio, & aperuit jus revocandi alienata eidem Pompeo, cujus favore illa emanavit, ut sunt text. expressi in l. filiusfamilias 117. §. cum Pater ff. de leg. 1. l. unum ex familia 69. §. sed si uno l. peto 71. §. Fratre, & l. cum Pater 79. §. libertis de leg. 2. Soccin. sen. conf. 43. sub n. 9. lib. 4. Barfatt. conf. 3. n. 6. lib. 1. Ruin. conf. 23. n. 13. lib. 5. Surd. consil. 116. n. 17. Gabr. consil. 140. n. 8. lib. 1. Peregr. de fideicommiss. art. 14. n. 8. & art. 40. n. 17. & late firmatum fuit in Tuderina fideicommissi 3. Julii 1606. coram Manzanedo, & in recent. decis. 73. n. 1. & seqq. p. 1. & dec. 147. n. 2. p. 5. & in Mediolamen. bonorum 26. Junii 1647. coram R. P. D. meo Bichio, & 31. Maii 1649. coram R. P. D. meo Corrado.

Nec alienatio sustineri valet, ex eo quod dicta bona liberè pervenerint in Angelam Testatoris fororem vigore transactionis inita inter ipsam, & præfatam Vincentium. Tum quia talis transactio, * non nocet successoribus in fideicommissio quo minus possint immisionem petere ad bona, quæ hæres gravatus penes tertios transigendo misit juxta text. in l. fin. §. sed quia, & seq. C. cum deleg. Peregr. de fideic. art. 52. n. 81. & seqq. Menoch. conf. 599. à n. 3. Et pluribus firmatum fuit in Bononien. fideicommissi de Blanchis 20. Aprilis 1646. coram Reverendiss. P. D. meo Royas.

Tum etiam, quia illa resoluta fuit ex speciali pacto ibidem appposito, quod bona redire debeant ad Vincentium institutum quatenus Angela, & Ludovicus decederent sine filiis, nam eo ipso, quod apparet hunc casum evenisse, prout etiam de jure præsumitur ex supra deductis, transactio, * & renunciatio remansit inefficax, perinde ac si nunquam celebrata fuisset Caputaq. decis. 315. versic. Et quia transactio part. 3. Penia

Penia decis. 214. n. 2. & fuit dictum in Viterbien. Castrorum coram bon. men. Coccino decis. 194. nu. 101. & 102. p. 5. recent.

Immissio vero impediri non potest prætextu assertarum detractionum, quia Trebellianica reperitur expresse prohibita, * prout prohiberi posse etiam filiis primi gradus not. Jaf. in l. Macellus, num. 38. ff. ad Trebell. Rip. in l. nemo potest nu. 42. de leg. 1. & est communis opinio, quam servat Rota, ut coram Gregor. decis. 421. nu. 10. ibique Adden. nu. 16. Cafenaten. bonorum 27. Martii 1648. coram R. P. D. meo Peutingero, & in Fanen. bonorum 19. Junii ejusdem anni coram bon. mem. Arguelles, & novissime firmatum fuit in Bituntina fideicommissi 23. præsentis mensis coram Reverend. P. D. meo Albergato.

Et legitima prætenfa ex persona Elisabethæ matris Testatoris fuit consumpta per usufructum eidem relicto, + cum quo compensari debuit juxta præceptum ejusdem Testatoris ab ipsa acceptatum, etiam faciendo æstimationem, juxta text. in l. hæreditatum, ff. ad l. falcid. ut bene per Jafon. in auth. in novissima n. 45. Cod. de inoff. testam. Marefcott. var. resol. lib. 2. cap. 86. nu. 19. ad fin. Gratian. cap. 983. nu. 8. & duobus seqq. Surd. consil. 388. nu. 17. & per tot. lib. 3. Rot. coram Seraphin. decis. 1365. n. 6. & seqq. & coram san. mem. Gregorio decis. 186. n. 3. ad fin. in Civitatis Castellii supplementi legitime 11. Martii 1618. coram Manzanedo, & in recent. decis. 291. num. 5. & 6. p. 7.

Et tamen dicta legitima, uti debita Vincentio, qui cessit, & renunciavit ad favorem Pompei, + ad eundem spectaret, & non ad alios l. si à Creditore Cod. de act. & oblig. Surd. consil. 22. num. 16. Rota in Romana fideicommissi de Incoronatis 22. Maii 1643. coram Reverendissimo Domino meo Dunozetto Decano, & firmatum fuit in Bononien. fideicommissi 5. Decembris 1650. & 16. Junii 1651. coram me.

Identitas bonorum satis probata remanet ex Inventario de ordine Testatoris facto, + quod bene probat contra conscientem, & habentes ab eo causam, Peregrin. de fideicommissi. art. 44. n. 2. Rota coram Cavaler. decis. 578. num. 5. & in recent. decis. 96. n. 2. & 3. part. 7. cum aliis in Melevisana fideicommissi 20. Junii 1650. coram Reverendissimo Præside Domino meo Orthobono.

Unde cum ex prædictis constet de fideicommissio de illius purificatione ad favorem Pompei, + necnon de identitate bonorum, resolutum fuit immisionem esse concedendam, sive ex remedio l. final. Cod. de edict. Div. Adr. tollen. sive ex Salviano juxta not. per Gabr. consil. 44. nu. 6. lib. 2. & in terminis de immisione petita ob alienationes factas contra prohibitionem Testatoris, firmavit Rota coram Cavaler. decis. 201. nu. 4. & in Bononien. fideicommissi de Manzolis 1. Decembris 1625. coram Pirovano, in Bononien. fideicommissi de Bianchis 20. Aprilis, & 14. Decembris 1646. coram R. P. D. meo Royas, & in Spolejana fideicommissi 27. Martii 1648. coram R. P. D. meo Bichio.

Et ita altera tantum, &c.

DECISIO LXIX.

R. P. D. BICHIO.

Romana Devolutionis Domus.

Lunæ 4. Decembris 1651.

SUMMARIUM.

- 1 Hæredum, & successorum appellatione in concessione bonorum Ecclesiæ, non veniunt extranei.
- 2 Clausula, ad habendum, efficit emphyteusim hæreditariam, & transitoriam ad extraneos. Fallit subsequeute alienationis prohibitione, num. 6.
- 3 Clausula, in perpetuum, efficit emphyteusim transitoriam ad extraneos. Amplia, stantibus conjecturis, de quibus num. 4.
- 5 Laudemii obligatio arguit emphyteusim transitoriam ad extraneos, à quibus solummodo exigitur. Solutio est consecutiva ad assensum, num. 9. Præstatio à solo Emphyteuta debetur, num. 24.
- 7 Prohibitio alienandi per duas negativas inducta, importat alienandi promissionem, cum assensu Domini. Prævalet in emphyteusi conjecturis arguentibus facultatem transitus ad extraneos, num. 12.
- 8 Negativa adjecta subsequeute dispositioni, eam qualificat, non præcedentem, de qua fuit facta mentio absque doctrina negativa.
- 10 Assensum Dominus non tenetur præstare, quando prohibitio alienationis est concepta negative.
- 11 Dispositio unica sub duplici conditione, altera negativa, affirmativa altera, si concipiatur utraque sustinetur, & purificanda.
- 13 Canon an correspondeat fructibus, attenditur tempus novæ investituræ, quando per viam renunciationis non processit.
- 14 Canonis coequalitas non efficit emphyteusim hæreditariam, si aliunde appareat pactio nata, vel mixta. Receptio per 30. annos inducit approbationem institutionis in emphyteusi de hospitali prohibito succedere, nu. 26.
- 16 Emphyteusi finita per deficientiam personarum vocatarum, si debet redire ex pacto cum melioramentis consensui ejusdem emphyteusis imputandum. Recursu ob non solutos canones, vel non renovatam investituram, melioramenta Domino cedunt, num. 18.
- 17 Affrancandi pactum facultativum, ante effectuationem nihil operatur ad effectum, ut emphyteusis Ecclesiæ in extraneos transeat.
- 19 Caducitate declarata, si Emphyteuta concedatur investitura, dicitur nova. Amplia ut num. 20.
- 21 Mens concedentis etiam ex verbis postea prolatis elicitur in materia emphyteusis attenditur.
- 22 Observantia arguit non fuisse in concessione emphyteusis extraneos comprehensos, quando mediante novâ Investiturâ non autem per renunciationem fuerunt admitti.

- 23 Alienatio necessaria non inducit caducitatem.
- 25 Hospitalis institutio, neque etiam quoad estimationem sustinetur de emphyteusi expressè alienari prohibita.
- 27 Priorissa, & Procurator, recipiendo canones Monasterio non præjudicant.
- 28 Investituræ emphyteusis alteratio quælibet, beneplacitum requirit.
- 29 Res Ecclesiæ, ut dicitur solita concedi in emphyteusim quid requiratur.
- 30 Beneplaciti præsumptio allegari nequit, stante constitutione Urbani. Præsumptio ex lapsu triginta annorum inducitur, nec sufficiunt viginti novem, num. 31.

Controversæ domus directum dominium penes Monasterium, & Moniales S. Lucie in Silice, & finis totius parentelæ investitorum (quæ sunt extrema Judicii devolutionis ex hoc capite à Monialibus moti) est in confesso apud partes. At quoniam Angela de Calandris ultima de dicta parentela sibi in testamento scripsit hæredem Hospitale S. Mariæ oppidi de Caravaggio, disceptatum acerrimè fuit, an investituræ etiam ad hæredes extraneos porrigantur, affirmativam sententiam tuentibus informantibus pro Hospitali; non quia conceptæ sint pro hæredibus, & successoribus cum eorum appellatione † in concessionibus honorum Ecclesiæ venire solum hæredes sanguinis receptius esse apud Doctores, testetur. Gabr. consil. 84. n. 51. & 52. lib. 2. Riman. fen. Mant. Grat. & alii plena manu relati in decis. 211. num. 4. part. 6. recent. & in Cajetana Bonorum 3. Decembris 1646. §. justitia coram R. P. D. meo Cerro.

Sed propter clausulas ad habendum, & in perpetuum in parte dispositiva investiturarum appositæ, quæ reddunt concessionem mere hæreditariam, quia præbent facultatem alienandi in quoscunque, & perpetuitas à contrahentibus contemplata verificari vix potest nisi extranei quoque comprehendantur, ut de clausula ad habendum † tradit plene Laderc. consil. 1. per tot. Clar. Becc. Ofasc. & alii plures quos refert, & sequitur Rot. decis. 87. n. 6. coram Burat. decis. 295. n. 2. coram Urgellen. decis. 294. num. 3. part. 2. recent. & de clausula in perpetuum † Cyriac. contr. 146. n. 10. Socc. Curt. jun. Crot. cum aliis approbatis à Rota in Mediolanen. Bonorum de Bufaloria 7. Junii 1585. coram Bubalo in decis. 245. n. 2. cor. Card. Millino in d. decis. 294. n. 4. p. 2. recent. in dec. 548. num. 9. p. 4. tom. 3.

Saltem quando in concessione pro hæredibus † in perpetuum adest aliqua conjectura † etiam levis pro comprehensione extraneorum, ut voluit Ceph. consil. 9. n. 17. quem sequitur Mant. de tacit. lib. 22. tit. 19. n. 21. & seqq. Rot. dec. 381. n. 6. & seq. part. 5. recent. Multæ autem conjecturæ in casu nostro id suadere videntur, nempe cœqualitas annui Canonis cum fructibus qui tempore primæ investituræ editæ de anno 1550. ex re concessa percipiebantur, Mant. d. lib. 22. tit. 6. n. 22. versic. sed advertendum, & tit. 19. n. 27. Buratt. dec. 334. n. 4. ubi allegat concordantes. Pactum francandi in eadem investitura appositum, Ceph. consil. 703. nu. 17. & seqq. Grat. discept. 477. nu. 10. & seqq. Sterilitas rei de tempore primæ concessionis ut per Rot. decis. 11. n. 5. part. 2. recent. Observantia subsequens resultans ex concessionibus factis de annis 1597. & 1612. non in personas consanguineorum Josephi Firmi primi investiti, sed il-

lorum de Calandris penitus extraneorum; nam observantia declarat primordiale mentem contrahentium, & ubi concessio semel transit ad extraneos eadem qualitate semper retinet, Ruin. consil. 161. n. 33. & 34. lib. 1. Mant. dict. tit. 19. num. 33. Rot. decis. 381. nu. 12. part. 5. rec. decis. 245. n. 2. versic. & videbatur coram Gard. Milino. Tandem prohibitio alienationis sine consensu Domini directæ nedum ad hæredes, & successores, sed etiam ad alios ab eis causam habentes, & conventio de solvendo in casum alienationis laudemium quæ in necessarium antecedens supponit ad extraneos bona devenire posse, quia non nisi ab extraneis † laudemium debetur, Ceph. consil. 27. nu. 19. & seqq. Corbul. de caus. privat. ob alienat. irrequis. dom. ampliat. 27. nu. 4. Gabr. conf. 84. nu. 10. & 11. lib. 1. Anna allegat. 106. n. 5. Redoan. de reb. Eccles. non alien. quæst. 66. num. 25. & seqq.

Contrarium tamen his non obstantibus decisum fuit, quia clausulæ ad habendum, & in perpetuum, restringuntur juxta naturam ipsius concessionis earumque virtus evacuat penitus ab expressa prohibitione alienationis † statim adjecta, quippe quæ cum ad extraneorum exclusionem directæ tendat, facultatem alienandi à dictis clausulis elicitam restringit inter ipsos comprehensos, estque magis attendenda, & plus influit in concessionem, quam dictæ clausulæ generales ut plurimum ex stylo à Notariis appositæ, ut inquit Dec. consil. 171. n. 3. versic. quarto, & ultimo, Gabr. conf. 91. nu. 12. & 13. lib. 1. Grat. discept. 344. n. 11. cum aliis quos refert, & sequitur Rot. inter recent. in ex adverso allegata decis. 294. n. 8. versic. item ibi aderat. part. 2. decis. 74. n. 15. decis. 211. n. 8. & 9. part. 6. & in supra-citata Cajetana Bonorum §. quod sine difficultate, & in eadem 10. Junii 1648. §. & proinde versic. loquitur, ubi ita conciliat decisiones contrarias, coram R. P. D. meo Cerro.

Præsertim quia non versamur in prohibitione concepta per duas dictiones negativas, † nempe ut non possit alienari, nisi cum consensu Domini quam resolvit in permissionem alienandi cum consensu dicit Rota in Sarsinaten. Feudi 22. Junii, & 18. Octobris 1645. coram Reverend. D. meo Decano, & 3. Julii proximi præteriti coram R. P. D. meo Orthobono, sed unica adest negativa in originali investitura anni 1550. ibi, promissitque ipsum solum cum melioramentis non vendere, &c. irrequisitis, & sine licentia dictarum Monialium, & in successivis investituris, ibi, non possint dictam domum &c. vendere &c. sine expresso consensu, & licentia Abbatis, & Monialium, Summ. Monialium nu. 1. 2. & seqq. & quamvis in his posterioribus investituris addita sit alia negativa, † ibi, & nisi eisdem satisfactis de laudemio; illa tui directæ tantum ad solutionem laudemii non qualificat consensum Domini de quo paulo ante absque simili dictione negativa facta fuit mentio juxta theoreticam Bart. in l. in repetendis col. fin. vers. contrarium puto ff. leg. 3. quam sequitur Jas. in l. cum filiusfamilias n. 177. ff. de leg. 1. Cuman. consil. 47. vers. quia conditio Boer. conf. 60. n. 53. in fin. lib. 2. Fufar. de subst. q. 403. n. 30. Barz. dec. Bonon. 119. num. 3. & 4.

Eo minus quia conditio solutionis laudemii † distincta prorsus est à conditione consensus 9 Gabr. conf. 84. n. 9. lib. 1. nec in illum influit, quin è contra ab illo est consecutiva Bart. in l. fin. nu. 2. vers. dic ergo Cod. prat. decur. lib. 11. Sord. consil. 84. n. 6. Rota in Neapolitana Domus 28. Junii 1606 cor. Ortembergo, ut propterea prohibitio esto quod respectu

respectu laudemii ex vi duplicis negativæ resolvatur in affirmativam licentiam alienandi, adhuc manet in rigore præcepti negativæ respectu consentus à Domino præstandi, cujus mentio quomodo in investitura fiat attenditur ad dignoscendam qualitatem investituræ, ut videlicet si fiat per modum affirmativum explicite, puta quod possit alienari cum consensu, concessio sit hæreditaria, idemque forsitan si per modum affirmativum implicite ex secunda nempe negativa post negationem potestatis alienandi adjecta consensui Domini resultantem, secus è converso; & ratio diversitatis est, quia primo casu prohibitio forsitan resolvitur, ut aliqui sentiunt, in permissionem, & Dominus directus cogi potest ad præstandum consensum qui ex tunc censetur promissus; Secundo verò casu, prohibitio stat in suo robore negativo, & Dominus † consentire alienationi non tenetur, ut in puncto prohibitionis alienationis sine consensu Domini ratiocinatur ac distinguit Joan. Franc. à Ponte consil. 2. n. 6. & seqq. consil. 81. n. 58. & 59. li. 1. Cæf. Manen. dec. 2. n. 40 & 41. Rot. in dicta Cajetana Bonorum 3. Decembris 1646. §. pro quorum coram R. P. D. meo Cerro. Unde satis non est quod conditio laudemii resolvi possit in affirmativam dum alia conditio consensus negativè manet, nec est novum quod unica dispositio † sub duplici conditione, altera negativa, altera affirmativa, concipiatur, utraque suam naturam retinente, & purificanda l. si hæredi plures, ff. condit. instit. l. Lucio la 2. ff. hæred. instit. l. generaliter in princ. Cod. Instit. & substit. Hond. consil. 78. n. 23. & seqq. lib. 1. Peregr. consil. 119. n. 1. lib. 5. Fufar. consil. 64. n. 4. & 5. Et in omnem eventum unus ex Dominis ingeniose animadvertit quod in eisdem investituris post clausulam nisi satisfactis de laudemio statim adjungitur clausula juxta Juris dispositionem, quæ declarat contrahentes intellexisse de alienationibus tantummodo permittis, illis scilicet, quæ sunt inter comprehensos, non autem favore extraneorum quæ in Emphyteusi Ecclesiastica pro hæredibus, & successoribus à Juris dispositione prohibentur, ut in fortioribus terminis Seraph. decis. 1290. num. 12.

His positis non urgent conjecturæ in contrarium ponderatæ quia omnibus prævalet † quam præbet prohibitio alienationis Rot. decis. 74. n. 15. dec. 211. n. 9. p. 6. recent. quæ non aderat in casu, Ceph. Card. Mantic. & decis. 381. n. 6. p. 5. rec. ex adverso alleg. & ex abundanti evacuantur singulæ; nam cœqualitas Canonis cum fructibus † rei concessæ nec aderat de tempore posterioribus investiturarum, quod tempus, quia, ut infra dicam, novas concessionis important, debet attendi, Grat. discept. 379. n. 22. & 23. Cæf. de Grass. dec. 4. per tot. de reb. Eccles. non alien. Rot. dec. 252. n. 16. part. 7. recent. nec alicujus considerationis est 13 quando ex aliis concessionem † esse Emphyteoticam, & pactonatum vel mixtam apparet, Gabr. consil. 84. n. 12. lib. 2. Vinc. de Franch. dec. 191. n. 10. Sord. decis. 198. n. 23. vers. respondetur etiam, & n. 24. Rot. in Romana Domus 22. April. 1644. §. quia omisso coram Eminentijs. D. Card. Cecchino, ut in casu nostro denotant verba in Emphyteusim, pactum de meliorando, reservatio directi domini, prohibitio alienationis sub poena amissionis melioramentorum, & denique conventio solvendi laudemium, † illud enim juxta veriore opinionem non solvitur nisi alienans sit verè, & propriè Emphyteuta, Capyc. Latro dec. 18. n. 12. vers. quod quando, Buratt. decis. 601. n. 5. Rot. dec. 14. n. 46. & seqq. ubi respondet contrariis, dec. 128. Decisiones nec Tract. de Alim.

n. 1. part. 6, recent. & in Romana Devolutionis Virene 14. Maii 1646. §. quæ sane effectuat, vers. pro cujus etiam coram R. P. D. meo Verospio: quapropter non applicatur ex adverso allegata decis. Buratt. 334. ubi non aderat conventio laudemii, sed bene applicatur tradita à Marefc. var. resol. lib. 2. cap. 56. n. 11. & seqq. Pariterque non metur attendi quod res esset sterilis, quia imò de super domus fructifera ædificata fuerat de tempore secundæ subsequenter investituræ, ut dicebam attendendo, nec non quia stante pacto expresso de re melioranda, † & restrictione concessionis ad certas personas, scilicet hæredes sanguiniseducta ex verbis, & prohibitione alienationis sterilitas hujusmodi nullius momenti est; nam tunc finita per deficientiam personarum vocatarum Emphyteusi, non excluditur Emphyteuta à fructu suorum laborum ex facto Domini, sed ex pacto Convento, & proprio consensu, ut respondit Rot. in eodem Romana Domus §. 2. quia coram Domino Card. Cecchino.

Ad pactum francandi, satis est respondere quod non fuit effectuat, & ante effectuationem † ubi non necessarium sed facultativum est, nihil operatur Grat. discept. 477. n. 16. Rot. decis. 359. n. 31. & 32. ubi sic respondetur contrariis p. 5. rec. Observantia favore extraneorum educi non valet ex concessionibus factis de anno 1597. & 1612. Andree, & Angelæ de Calandris, quia non emanarunt in renovationem antiquæ investituræ factæ Josepho Firmo, & ob lineam illius finitæ quo casu concessionem non esse novam licet adfint verba, & de novo concedimus, dixit Rot. dec. 176. n. 35. & 36. p. 5. recent. sed ob culpam Emphyteutæ in alienando absque consensu, & cessationem in solvendo canonem, in quibus terminis concessio nem esse prorsus novam distinguendo hunc casum ab antecedenti tradit Bero. consil. 112. n. 3. & 4. lib. 1. ubi ait rationem diversitatis quia finita Emphyteusi ob deficientiam lineæ, res non dicitur penitus ad Dominum reverti, & omnino devoluta cum remaneant agnatis, & hæredibus primi investiti melioramenta, & jus petendi investituram quatenus Dominus nolit pro se retinere; at si finiat per cessationem solutionis Canonis, † & culpam, res omnino, & penitus dicitur reverfa nullo jure remanente penes agnatos seu hæredes, tam respectu impetrandi novam investituram, quam melioramentorum, sic etiam Cald. de renov. Emphyt. lib. 1. q. 4. n. 20. & 21. quem sequitur Rot. d. decis. 176. n. 35. vers. secus p. 5. recent.

Et quamvis aliqui voluerint requiri ad hunc effectum quod præcesserit rei devolutæ incorporatio favore Domini directi, hoc est, quod ille possessionem apprehenderit, † contrariam sententiam Iserniæ, videlicet sufficere quod caducitatem declaraverit tanquam magis communem secuta est Rot. in Portuen. Stagni 10. Junii 1641. §. nec refragatur coram bon. mem. Card. Panzirolo; & in casu nostro cessat difficultas ex facto quia ante secundam investituram factam de anno 1612. Moniales nedum possessionem apprehenderant sed etiam mandatum de manutenendo desuper obtinuerant, & ante præcedentem concessionem anni 1597. reportaverant à Judice super devolutione sententiam quod satis esse, præsertim † ubi, ut in casu nostro, fuit aliquid solum pro obtinenda nova investitura, & adfint nova pacta dixit Rot. coram Card. Cavaler. decis. 398. sub n. 8. vers. tertio ibi, & vers. tandem, Buratt. consil. 251. n. 3. lib. 3. Grat. discept. 913. n. 19. Seraph. decis. 1362. nu. 3. Rot. divers. decis. 160. num. 9. p. 2. Præter quod non solum